

ut naturā Logicæ pleniùs perspiciant studiosi laudatissimæ hujus disciplinæ, quæ non disferit, sed modum disferendi præscribit, quo postea utitur Physicus vel Astronomus. Adscribam verba Goclenii *in anal. exercitat. 1. Scalig. section. 3. Physicus utitur ratione definiendi & dividendi à Logico acceptâ. Logicus ipse non definit, non dividit, veluti navim fabricat artifex, quâ acceptâ utitur gubernator, remex &c. sua quisq; ad commoda, suos ad fines. Et paulò post: Si quid docet Grammaticus, Rhetor, Mathematicus, non suo, sed Logica artificio docebit. Logica est & aliarum disciplinarum administra, & mater ac formatrix, & ceteris artibus imperat eadem. Leges enim definiendi, dividendi, & quidlibet arguendi, leges enunciandi, ordinandi & concludendi præscribit. Ecce Physicus accipit rationem definiendi, legesque dividendi à Logicâ. Debet itaque nosse, quid sit definitio, quomodoque illâ utendum sit. Utrumque hoc docet Logica. Hinc apparet verum esse quod diximus, Dialecticam tradere instrumentorum suorum naturam & usum, hoc est, præcepta de naturâ & usu illorum proponere.*

Instrumentum Logicum est vel verum, vel apparens.

Prima divisio instrumenti Logici.

Hoc præceptum cohæret cum posteriori illâ definitione partis generalis.

Instrumentum Logicum verum, est notio secundâ, cujus adminiculo vir bonus ad bene disferendum utitur.

Instrumento Logico vir bonus utitur, malus abutitur. Quanquã verò ex accidenti hoc posterius fit, nihilq; ad essentiam instrumenti Logici facit: nihilominus tamen de abusu etiam præcipiendû est, ut ita contraria juxta se posita clariùs elucescant, & juvenis, thesaurus ille utriusque politix, plenissimè condiscat rationem detegendi fallacias, quas non statim cognoscere potest, qui rationē veri instrumenti novit. Non enim hæc sunt instrumenta corporalia, quorû usus vel abusus, rectitudo vel irrectitudo ad oculos patet.

Instrumentum Logicum verum, est noëticum, vel dianoëticum.